

15

24048.T

5 2311

463

2

PANEGYRICUS,

2vo

SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO,

REGI BORUSSIÆ,

&c. &c. &c.

MARCHIONI BRANDENBURGICO, SACRI ROM.  
IMPERII ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI, DUCI  
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI,  
POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, ETIAM  
CROSNE IN SILESIA, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRIN-  
CIPi HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHEN-  
ZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ RA-  
VENSTEINI, LAUENBURG ET BUTAU,

&c. &c. &c.

REGI, ELECTORI,

ATQVE

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

CUM

*XV. Calend. Febr. Anno M. DCCI.*

REGIOMONTI BORUSSORUM

FELICITER AC SPLENDIDE

INAUGURARETUR,

SUBJECTISSIME DEMISSISSIMEQVE

GRATULATUR

REFORM. JUVENTUTIS, QVÆ EST STARGARDIÆ

POMERANORUM, RECTOR,

AUGUSTUS CHRISTIAN. BORCKHARD.



STARGARDIÆ,

Imprimebat JOH. NICOLAUS ERNESTUS, Elect. Regimin, Typogr.



PANEGYRICUS

REVERENDISSIMO ac POTENTISSIMO  
PRINCIPIS ac DOMINI

DN. FRIDERICO

REGI BORUSSIAE

&c. &c. &c.

MARCHIONI BRANDENBURGICO, SACRI ROM  
IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, DUCI  
MAGDEBURGI, CIVIS, JULIACI, MONTUM, STEINI,  
POMERANIE, CASSERIUM ET VANDALORUM, ETIAM  
GROSSE IN SILESIA, HURGGAVIO NORIMBERGENSI, PRIN-  
CIPIS HABERSBACHII, MINDE ET CAMINI, COMITIS HOHEN-  
SOLEBAE, MARCE ET RAVENSBURG, DYNASTAE RA-  
VENSTINI, LAUBENBURG ET BUTAU,

&c. &c. &c.

REGI ELECTORI

ATQVE

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

CUM

XV. CALEND. FEB. ANNO 1762.

REGIONUM BORUSSORUM

FELICITER ac SPLENDE

INHAERENTUR

GRATULATUR

GRATULATUR

REGIUM INVENTUM, QUAE EST STABARDIA

POMERANICAE, REGIUM

AUGUSTUS CHRISTIANUS BORCKHARD

STABARDIA

Impressit Joh. Nicolaus Ernstus, Elect. Regim. Typogr.





**Elicitatibus nostris, & per**

tot annos continuis Reipubl. hujus incrementis, inquit ante hac defuit, nihil aliud certè fuit, quàm ut in hoc re-

rum statu, nullo amplius bello flagrante, sed optima florente pace, pacis hujus Restitutor, optimus non minus, quàm

Maximus Principum **FRIDERICUS III.**

Electo atqve Dominus Noster Clementissimus in *Regem* crearetur. Fulget, fulget nunc Prudentissimus ac Sapientissimus Ille *SALOMON BRANDENBURGICUS* in Solio suo, in altissimo honoris fastigio, in summo fortunæ splendore, Primus in sua gente *REX*, clarissimi Syderis



Syderis instar fulget. Creatur enim hodiè, *BORUSSORUM REX FRIDERICUS*, & quod fama rerum vehat perpetuò, quod Parentes liberis, liberi Posteris, posteri minoribus suis tradant, sacro solenni que ritu inauguratus, in Throno suo, virtute sua parto, non sine summa suorum lætitia collocatur. Condit regalem pompam, & novum *REGEM* ingressum subsequitur universum cum Milite ceteroque Ordine, cum Nobilitate, cum Magistratu, cum Cive, cum peregrino, cum populo *Regiomontum*. Hinc plena nunc faustis acclamationibus omnia, iisque forum, & theatra & Cathedræ perstrepunt. Hæc enim singula ita omnium animis obversantur, ita sensus omnium occuparunt, ut attollentes sese, & emicantes quærant undique, & circumspiciant vias, quibus in gaudia sua erumpant. Omnis ætas, & sexus omnis, & omnis ordo exultant, ovant atque triumphant. Incitat alius alium, & suæ quisque lætitiæ exhibet argumenta. Atque hanc hodiernam lætitiæ, ut impensè testatur *Borussia*, & unusquisque nostrum, atque omnium, quàm latè Brandenburgico Sceptro subjectæ gentes colunt; ita hoc imprimis gratum nobis omnibus est, quod *DEUS* per *FRIDERICUM* præcipuè illam in animis nostris excitari voluerit, per *FRIDERICUM* dico, de quo expedire difficile est, utrum



trum Major dicendus sit, an melior aut felicior? Sed verò, dum publici gaudii strepitus festivitas, dum festo plausu bonisque omnibus late resonant omnia, ecquid Musæ ingrediuntur meæ, taceantne an loquantur? Absesse profectò ab his sacris nullomodo possunt nec debent; sed quemadmodum Benignissimi hujus *REGIS* Clementiâ in hoc *seminario* sustinentur; ita communis omnium latitiæ & publici passim gaudii testes etiam sese præbent. Gratulabor igitur hac luce publicè Potentissimo *REGI* de tanto ac vel spe nostra majore tum felicitatis, tum gloriæ fastigio, & ut Ipsi feliciter eveniat *REGI*, feliciter *Borussia*, ac universis Sceptro Brandenburgico subjectis Provinciis, feliciter itidem Germaniæ & universæ Europæ, piis precibus summum *DEI* Numen, Regum Regem, ac Dominantium Dominum, quàm devotissimè venerabor. Unum est tantummodo, quod in latissimo hoc argumento me timidiorē ad aggrediendum possit efficere, quia tenuitatis meæ conscius valdè admodum vereor, ut tanto Rege dignam, & ab Ejus Majestate non contemnendam planè Orationem adferam; Verùm, ut Maximi Regis me Summa Clementia audaciorē facit; Ita in *ILLO* quàm humillimè confido fore, ut benignissime interpretetur, si non quod debeo, sed quod possum pro exigui ingenii tenuitate prædicavero.

Profectò, ita me *DEUS* amet, quotiescunqve *BRAN-*  
*B* *DENBUR-*



*DENBURGICÆ DOMUS* felicitatem, cujus splendidissima pars hujus diei festivitate continetur, animo meo recolligo, toties Divini Numinis erga *ILLAM* demiror Clementiam, & fatorum vim religioso animo tacitus adoro. Domitianus tempore suspecti periculi appropinquante magis magisque indies sollicitus, conclavii, in quo semper esse consueverat, parietes Phengite lapide distinxerat, è cujus splendore per imagines, quicquid à tergo fieret, provideret; Quod si *SERENISSIMAM* consideramus *DOMUM BRANDENBURGICAM*, singularem *DEI O. M.* benignitatem & benevolentiam in *ILLA*, velut in Speculo, videmus renitentem. Cui enim unquam bona sua ita cumulavit æternum Numen, ut *POTENTISSIMÆ FAMILIÆ BRANDENBURGICÆ?* Quibus Principibus unquam tanta possessionum dedit incrementa, quanta iisdem *BRANDENBURGICIS?* Haud facile Princeps reperietur in Imperio Romano, cujus Domui tanta vel uno (\*) seculo potentia accrevit, ut tot amplif-

(\*) Vix illuxerat seculare illud tempus, quod nuper exegimus, cum Clivensis Ducatus, & duo Comitatus, Marcanus & Ravensbergicus. Opulentissima provincia ditiora fierent Brandenburgica, & quidem jure hereditario. Nam *JOHANNES SIGISMUNDUS*, Elector Brandenb. in matrimonio habuit *ANNAM*, Ultimi Juliae & Clivie Sc. Sc. Ducis, Sereniss. *JOHANNIS WILHELMI*, Sororis natu maxima Filiam. Qui cum Anno 1609. improles decederet, relictis adhuc tribus sororibus, quarum prima in Neoburgicam, altera in Bipontinam tertia verò in Bur-



( 7 )

amplissimas Provincias vel hæreditario jure, vel transactionibus consequeretur, tantamque auctoritatem & felicitatis fastigium obtineret, quantum *GLORIOSISSIMAM DOMUM BRANDENBURGICAM* obtinuisse per *DEI* gratiam cernimus.

Inter tot verò tantasque Provincias, quibus hæcenus possessiones *BRANDENBURGICÆ* sunt auctæ, non minima profectò existit *Borussia*, quæ à parvis tantum initiis provecta inter Coronas septentrionales Caput suum ad Sydera usque evexit per præsentem, quam adoramus, coronationem. Quæ, quemadmodum ad *SERENISSIMAM DOMUM BRANDENBURGICAM* accesserit, apparebit facile, si in præteritorum temporum memoriam redire libuerit. Borusi Veteres \* omnem in ripa vistulæ orientalis tractum inhabitaverunt, ex Sarmatia, quàm hodiè Moscoviam nomi-

*gaviensem Domum desponsata fuit, magnâ inter hos Principes ob successionem, dissensione exortâ, eò tandem res pervenit, ut SERENISSIMA DOMUS BRANDENBURGICA supra dictas Provincias obtineret, Neoburgica verò Ducatum Juliacensem, Montensem cum Rayensteinio possideret. vid. Job. Sleidanus p. 523. item Job. Hubneri Fragen aus der Politischen Historia. p. 1047. Utrumq; etiam Pomeraniam, cum media ferè seculi pars esset præterlapsa, ad eandem DOMUM BRANDENB. accessisse, nemo est, qui ignoret, quarum citerior, pace Germania sic exigente, cum amplissimis Regionibus, Magdeburgensi, Halberstadiensi & Mindensi est permutata &c.*

\* Vid. Hariknoth. in Hist. Pruss. lib. 1, c. 2, p. 74.



nominamus, ante sexcentos ferè annos in Borussiam profecti, Venedorum nomine insignes atqve horrendâ idololatriâ imbuti. Solem enim, Lunam & Martem pro Diis coluerunt, eosqve *Bercunum*, *Botrympum* & *Bircollum* nominarunt. Horum cultus in *Galindia* celebratus est, sub *quercu* \* *Romoviensi*, ubi Christianos homines aut bello, aut alia capros occasione, immanissima ac barbara consuetudine immolarunt, victimis ejusmodi Deos placari suos arbitantes. Vexatus autem ab his Venedis, qui decimo post Christum Natum seculo *Borussorum* nomen assumerant, Dux Masaviensis in Polonia, Ordinis Teutonicorum Equitum implorabat auxilium, quorum Autor *Guido Lusignanus* \*\* Rex Hierosolymarum fuisse scribitur, cum Urbs *Acona* olim *Ptolomais* dicta expugnaretur. Hi magno cum exercitu è Terra sancta celeriter profecti omnem Borussiam sub suam redegerunt potestatem, primo quidem Teutonicorum Magistro *Henrico Walpot*, ultimo verò *ALBERTO*, Marchione Brandenburgico existente, qui post bellum cum Polonis gestum terras istas ut Ducatum obtinuit secularem. Hujus cum Filius *FRIDERICUS ALBERTUS* sine Hærede decederet, ad *JOACHIMM FRIDERICUM*, Electorem

\* Die grosse Eiche zu Romove.

\*\* Vid. Hartman. in Hist. Pruss. Part. 2. c. 1. p. 243.



ctorem Brandenb. translata fuit Borussia, Cui successerunt **JOHANNES SIGISMUNDUS**, & **GEORGIUS WILHELMUS**, ita tamen, ut suprema potestas penes Polonos esset, quo tandem nexu **FRIDERICUS WILHELMUS MAGNUS** exsolvit, ut summo ipse jure ac immunitate possideret, atque ita immunem liberamque in Posteris etiam transmitteret. Jam verò **SERENISSIMO AC POTENTISSIMO ELECTORI NOSTRO**

**FRIDERICO III.** ob egregiam *Ejus in Domum Imperatoriam voluntatem atque immortalia in Imperium merita, quibus securitati publicæ consuluit optimè, bello præsertim Turcico atque Gallico, Invictissimus Imperator LEOPOLDUS, semper Augustus, Regium Diadema cum Titulo concessit. Res sanè admiratione digna, nec indigna TANTO PRINCIPE*, cui **DEUS** eximiarum suarum virtutum præmia, ac Pietatis præsertim conspicuæ fructus aded clementer tribuit, atque implevit illam promissionem: *Ecce \* ejiciam ante Te omnes istos populos &c.* Quis igitur non admiretur coelestem Providentiam, quæ tam mirabili

\* Jos. 3. 10.



rabili consilio felicitatem gloriamque **AUGUSTISSIMI**  
**REGIS** eò tandem perduxit, quò nemo fortasse superiori  
 tempore perductum iri cogitaverat. Singularem profectò  
 incomparabili huic Principi addictam Divini Numinis be-  
 nevolentiam esse oportet, quæ, cum jam tum *Majoribus*  
*Ejus* omnibus in augendo ipsorum Nomine, splendore ac fa-  
 ma, stupente Germania, mirè faverit, nunc **HUIC UNI** or-  
 nando augendoque videtur planè vacare velle, & quousque  
 ultra aliorum Exempla proferri Imperium Ejus ac gloria possit,  
 ostendere. Quod eequidem in omni **AUGUSTI REGIS** vita  
 animadvertimus, atque jam olim vel in ipsa Ejus *Nativitate*  
 inusitato indicio enituit. Nasci enim debebat **SERENISSIMUS AC**  
**POTENTISSIMUS FRIDERICUS** felicissimis auspiciis, in-  
 ter tot Victricium Divi **FRIDERICI WILHELMI M.**  
 armorum lauros, inter tot populorum applausus, publicaque  
 tot provinciarum gaudia, ipsis Calendis Juliis, ipsoque novilu-  
 nio incipiente, cum supra millesimum & sexcentesium recu-  
 peratæ salutis annus ageretur quinquagesimus septimus, quin-  
 quagesimus septimus dico, quo vix alius ullus, *Borussia* præ-  
 fertim, salutaris magis illuxit, quo omne illud, quicquid prospe-  
 ritatis & beneficii in rebus humanis destinare in mortales con-  
 sivevit indulgentissima Divini Numinis bonitas, copiosissimè  
 in illam effundebatur. Nasci debebat **PRINCEPS CEL-**  
**SISSIMUS** in loco, summæ **MAGNI PARENTIS** pote-  
 stati



stati paulo post accessuro, quem ipse Rex Regum & Dominus Dominantium Nativitate Potentissimi REGIS FRIDERICI, exoptatissimi pacis Nuncii ad capeffendum Imperium, quod præter Deum, ut ajunt, in his terris jus in se concedit nemini, quasi visus est inaugurare. Nasci debebat in *Amplissimo illo Emporio, in Arce illustrissima, quæ & Regis* \* Conditoris famâ, & proprio inclarescens Nominè, in suo *Regii-ceu Montis Cacumine REGIS* sui lætificè orientis primam Natalis conspexit auroram. Nasci debebat è Familia, omni Regio splendore illustri, ut in EO velut in Compendio collecta Majorum virtus feliciter sobolesceret atque repeteretur. Nasci debebat à *Parentibus* gloriosissimi Nominis famâ per universum terrarum orbem celeberrimis, qui acceptum à Majoribus, & immensis à se incrementis auctum Majestatis Decus hæreditariæ virtutis propagatione ad ipsum transferrent, ad summa tendenti Duces existerent, illustrissimoque suo Exemplo Regium Ejus Animum ad exurgendum in avitas Progenitorum laudes stimularent, ut ita honestissimæ æmulationis desiderio accensus non posset non ad illorum similitudinem rapi, à quibus originem duceret, & ex quorum Sacratissimo Sangvine non nisi Heroicos ac Regios spiritus traheret. Ut multa paucis comprehendam, nasci in terris hunc voluit DEUS, ut esset,

in  
\* *Ottocarus Rex Bohemæ ad fructuram Arcis Regiomonti primum posuit Lapidem, Anno æræ Christian. 1257. Hantknoch, hist. Pruss, p. 1. c. 3. p. 390.*



in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet. Ac videtur Moderatrix rerum humanarum Providentia vel eapropter vitam adeò longævam **FRIDERICO WILHELMO M.**, indulgisse, ut hujus auspiciis atqve Auctoritate **BORUSSORUM REX FRIDERICUS**, ad summum fortunæ cultum eruditus, tot regiis virtutibus auctus, & masculino ætatis robore instructus tam multis populis provinciisque gubernandis in **THRONO ELECTORALI**, ad quem divinitus\* fuit destinatus, collocaretur. Sed verò non solum Nativitatis suæ Omen, sed & perfectissimarum suarum Virtutum prærogativa in summo inter mortales gradu Regem collocavit, in quem Eum hodiè sublatum Divinâ providentiâ cernimus. Quod enim natus sit feliciter, magnificè, Regiè, quod ab antiqua **BRANDENBURGICA GENTE** suam Originem, suum sanguinem, spiritumqve traxerit, & tot Magnos Electores, cum Regibus comparandos in Progenitoribus suis numeraverit, hoc quidem magnum quid, & profus eximium

\* Præcedebant Augustum Regem **FRIDERICUM** duo Emires natu Majores, Serenissimus **WILHELMUS HENRICUS**, & **CAROLUS EMILIIUS**, omni virtutum genere excellens Princeps, qui ætatis jure Imperium sibi vindicabant. Sed inopinata & præmatura utriusq; Principis mors atq; obitus, quem gravissimè tunc lugebat universa Patria, imperscrutabile Divini Numinis decretum de **FRIDERICO** ad Clavum Imperii, & gloria, quam nunc possidet, fastigium exebendo implere debebat.



mium suis pollicetur, sed incredibili sua virtute multò majora ipsis præstat. Vultum enim *REGIS* si intuemur, animum Ejus contuemur, luculentissimè lineamentis Oris atqve Vultûs sui expressum; adeò omnia in EO sunt Rege digna, & generosa atqve illustria, ut ex iis, tanqvàm certissimis indiciis magnitudo Animi, & quæ hanc consequitur, felicitas rerum gerendarum cognosci possit. Singulos enim alios Principes quandoqve singulæ tantum, eaqve parcius quidem dispensatæ virtutes commendant, quas divina potentia parca satis ipsis contulit manu, iisque sæpè angustiis circumscripta hominum mens est, ut non nisi agrè plures admittat; Tibi verò *Borussia* singulari quodam & pulcher-rimo DEI munere Is datus est Principum, in quo concentus quidam & consensus omnium laudum, quasi omnium marium ad unum oceanum confluxus quàm illustrissimè deprehenditur; ita ut, quod in singulis apparet unum, in uno singula, in uno omnia, elegantissimoqve conspectu alias aliis virtutes splendidiore conspirare animadvertamus. Nam quid *GLORIOSISSIMO REGI* ad summam veræ virtutis laudis deest? sive ingenium & prudentiam in consiliis spectes, sive constantiam in adversis, in prosperis moderationem, præsentiam animi, in periculis temperantiam, & quæ omnium in Principe virtutum Culmen & cumulus est, justitiam? Hanc verò adeò suam fecit, ut in Illo habitare velut in coelo suo videatur. Hanc eminentissimam in Rege

D

Virtu-



Virtutem luculentissimè probat aureum illud ac verè Regium, quod à primo ætatis tempore delectum sibi asseruntque voluit Symbolum: *SUMM CUIQUE*. Dixi antea, quod in incomparabili illo virtutum omnium concentu, qui in *REGE FRIDERICO*prehenditur, eleganti conspectu alias semper aliis virtutes splendidiores, aliamque ex alia quasi fluere videamus. Equidem egregiè Justitiam cum fortitudine sua conjungit *REX MAGNANIMUS*, in hoc etiam virtutis genere haud cedens *Carolo illi Magno*, qui gladii capulo præclaris insignibus decore cælato Edicta signabat, *Ejusdem esse*, dicens, *& confirmare, & defendere leges*. Atque ita non *Themidi* tantum, sed & *Marti* simul vacat *REX POTENTISSIMUS, FRIDERICO III*. Imperatori Romano haud dissimilis, Cui erat in mensa explicitus liber, huic armata manus superimponebat gladium, cum Lemmate: *Hic regit, ille tuetur*. Recta *FRIDERICO* mens est, Cujus propterea adolescentiæ initia inter bellicas præparaciones exacta sunt, & qui cum Inviçtissimo gloriosissimæ memoriæ *PATRE* suo in diuturno Martis contubernio fortiter degens, illius temporis expeditionibus, non tantum interfuit, sed & juxta *MAGNUM PAREN-*



( 15 )

PARENTEM præfuit, POTENTISSIMO FRIDERICO WILHELMO, multorum maximorumque periculorum individuus Comes, & reportatarum à ferocissimis hostibus victoriarum non infima pars extitit, ac tam illustria eximiae virtutis suæ edidit documenta, ut jam tum non solum de EO benè sperare, sed & planè confidere posset Orbis, *TANTI PARENTIS* æmulam semper Prolem aliquando talem futurum, qualem nunc in ILLO egregium Ducem, qualem sortem & invictum REGEM etiam hostium confessione admiramur. Novit Rhenus Tua fortia facta, *REX INCLYTE*: Collaudant prælia Tua Belgarum fortissimi quique; Narrat victorias Tuas vexata olim Gallorum invasione Hollandia, Clivia, Sabaudia, Germania, aliæque plures adjacentes provinciæ, quibus TU omnibus, REX, non tantum consilio, sed & auxilio subvenisti. Quoties Gallos immani crudelitate formidabiles, & famosissimum præsertim Ducem Luxenburgicum, cujus metu Belgæ, vicinæque regiones trepidabant, solo nominis errore, armorumque ostentatione intra latibula sua retrusisti? Quanto animo *SERENISSIMI FRATRES TUI* in hostes pugnarunt? quo virtutis exemplo Exercitus Tuus in Hungariam missus Turcas repressit, remque Christianam sustinuit? qui nisi maximæ Barbarorum multitudini fortiter sese objecisset, amissis oppidis ac munimentis, rejectis propugnatorum



rum viribus ac robore, in summum discrimen adductum fuisset Christianum Nomen, quod TU felicissimè semper tutatus es. Profectò si vera vox est antiquissimi Poëtarum, uti omninò est: *Optimum esse augurium pro Patria pugnare*; nullum est justius bellum, nullum, quod majorem gloriam mereatur, quàm eos hostes propellere, qui Christiani nominis hostes sunt infensissimi, & nunquàm non in perniciem illorum vel apertè, vel occultè conjurant. Non potest nunc describi, nedum collaudari satis stupenda illa sapientia atque Prudentia, quam comitem habet suæ fortitudinis *REX POTENTISSIMUS*, haud ignarus, quod præclaram faciat mixturam cum Marte Minerva, cum sapientia fortitudo. Tanta autem illa in *REGE* est, ut dubius sim, an Ipsum Principem Politices ac rerum gerendarum peritum, an verò consummatissimum Theologum potius, inque sapientia, quæ secundum Deum est, eminentissimum prædicarem, & hinc, an vel *Antonini Pii*, an verò *Antonini Philosophi* cognomine mihi veniat appellandus? Novi quidem, quod vulgò jactatur, Principi nimirum, sola fortitudine bellica famam quærendum esse; Verùm hoc non ex prudentiæ adytis, sed ex assentationis foro potius depromptum esse censeo, cum sole meridiano clarius, ipsaque veritate verius ac certius



certius sit, quod *vis consilii expers mole ruat sua.* Non meum hoc effatum est, sed sapientum Principis: tum demum fore beatas Respubl., si aut sapientes regnare, aut Reges sapere incipiant. Facecite igitur artium & literarum otores, quibus nihil, nisi quod abjectum, vulgare & quotidianum est, sapit, cetera verò omnia sordent. Intuemini, si per vecordiam licet, purum sapientiæ aurum **POTENTISSIMI NOSTRI REGIS ET ELECTORIS FRIDERICI**, cujus fulgor omnium oculos ac mentes tacito quodam stupore percellit. Contemplamini pretium **EJUS** Eruditionis, quale superior ætas in *Cyro*, in *Alexandro Magno*, in *Julio Cesare* & *Carolo Magno* vidit, extulit, æternavit; quos omnes hic Noster **FRIDERICUS** impensè suspexit, eorundemque rarissimas dotes ac decora sitibundo quodam ardore acriter & pertinaciter sequi didicit, edoctus amplexavit, amplexus autem possidet. Pro parte hæreditarius profectò Tibi est studiorum amor, **REX POTENTISSIMÆ, DOMINE CLEMENTISSIMÆ.** Quem enim latet, quanto favore **SERENISSIMA DOMUS BRANDENBURGICA** Musas semper amplexa fuerit? Omnes **TUI MAJORES** fuerunt non tantum **Armorum Duces** peritissimi, sed & **Literarum amantissimi**: quibus omnem **Rempubl.** gubernari optimè, & tutissimè conservari præter summi Imperatoris *justiniani*, aliorumque

E testi-



testimonia, ipsa experientia demonstrat. Tu verò **MAGNE PRINCEPS**, quantus sis pacis bellique artium Cultor & Patronus, & vindex acerrimus, fama ipsa, toti notissima mundo, loquitur. Loquentur & olim Annales nostri, ac inter illustria illa Historiarum nomina, quæ studiis faverunt, iisque obstetricias manus admoverunt, **FRIDERICOS\***, **ALBERTOS**, **JOHANNES**, **JOACHIMOS**, **JOHANNES GEORGIOS**, **JOACHIMOS FRIDERICOS**, **JOHANNES SIGISMUNDOS**, **GEORGIOS WILHELMOS\*\***, *Tuum*, **FRIDERICE**, *nomen*, à seris nepotibus celebrabitur. Quis ignorat, quantos in Musas sumtus fecerit **DIVUS TUUS PARENS**, **MAGNUS FRIDERICUS WILHELMUS**, quod fundatio Duisburgensis Academiae, illustriaque illa stipendia, quibus lautiora nunquam vidit Orbis, testari possunt. Sed quantus etiam fuerit **MAGNI PARENTIS TUI** in Musas amor, quanta Ejus in literatos beneficia; **TU** tamen, **REX GLO- RIOSE**,

\* *Jacobus à Bruck, in Discursu suo Politico, plurimos refert Germania Principes, quos Literas cum Armis semper conjunxisse historia demonstrant. Inter hos Serenissimos Marchiones & Electores Brandenburgicos, Potentissimi Regis & Electoris FRIDERICI Majores primo loco ponit, eorumque & belli & pacis egregie ac praeclare facta brevissime & in compendio quasi recenset, è quibus facile intelligi potest, omnes istos Heroës non Armis tantum, sed & Literis fuisse celeberrimos.*

\*\* *GEORGIUS WILHELMUS, Elector Brandenb. Serenissimi ac Potentissimi nostri FRIDERICI AVUS Anno 1611. Francofurti ad Viadrum, & FRIDERICUS WILHELMUS, Magnus Ejus Parens Anno 1634. in Hollandia literis incubuerunt.*



RIOSE, egregia Illius facta, & res præclarè gestas non imi-  
 taris tantùm, sed & factò ipso, quod verè & verecundè di-  
 co, exprimere conaris, illud unum TIBI in animum indu-  
 cens, TE illum virtute æquare posse, si non superare. Tu  
 enim non solum tot Scholas, scientiarumqve societates insti-  
 tuis, sed & Academias erigis, qui ita Musas tractas, ita fo-  
 ves, ac si unicus & summus esses Seculi *Musagetes*, Pa-  
 rens Literarum cum *Francisco I.* Galliarum Rege,  
 nominari dignissimus. Aulam Tuam, REX, qui confide-  
 rat, theatrum esse virtutum amplissimum fateatur necesse  
 est, in quo cum Majestate humilitas, cum opulentia frugali-  
 tas, cum fortuna æqvabilitas, cum potentia humanitas, cum  
 arte militari literarum eruditio certare videtur. Habet enim  
 illa non tantùm vetustas & ab omni ævo celebratas Famili-  
 as, sed etiam tot lato Clavo insignes Optimates, Viros Marte  
 & arte incomparabiles, quorum vel sola conversatio & ex-  
 empla erudire possunt. Habet, inquam, inter *PROCE-  
 RES & PURPURATOS TUOS* tot *Catilios Severos*,\* tot  
*Ælios Serenianos*, tot *Quintilios Marcellos*, ut vel  
 Aula *Alexandri* istius *Severi* sit splendidior. Non  
 possum hic imperare admirationi, quin in trans-  
 cursu

\* Lampridius de Imperatore Alexandro Severo scribit, quod inter familiares  
 ejus & socios fuerint Catilius Severus, Vir omnium doctissimus, Ælius  
 Serenianus, omnium Vir sanctissimus, Quintilius Marcellus, quo melio-  
 rem ne historia quidem continuerint.



cursu venerer fidissimum illum piissimumque  
*TANTI ALEXANDRI Hæphæstionem, Illustris-*  
*simum Rom. Imperii Comitem, Regiorum Cubicu-*  
*lariorum Principem, DOMINUM JOHANNEM*  
*CASIMIRUM COLB à WARTENBERG, Virum Erudito-*  
 rum Calamo cum reliquis in tantum laudandum, in quan-  
 tum virtus intelligi potest. Hic enim propensum ad artes  
 optimas REGIS animum non tantum suffragium ferendo,  
 sed & adhibendo consilium juvat. Hujus præclara industria,  
 fidelissimaque Consilia, quibus præsto semper est OPTIMO  
 REGI, non tantum publicam spectant utilitatem, sed ad opti-  
 marum quoque artium scientiarumque commodum & in-  
 crementum quam gloriosissimè conferuntur. O dignissi-  
 mum *TANTO REGE Ministrum!* Dignissimum  
 dico, quo nullus dignior Principe Minister, quo nullus di-  
 gnior Princeps Ministro. Hæc omnia, cum paulò accura-  
 tius perpendo, *REX CLEMENTISSIMÈ, Pyrrhus*  
 aliquis mihi videris, qui Diis gratias egit, quod primò Re-  
 gem se fecerint, deinde quod animum regium dederint,  
 quod denique Cyneam, virum acrem consilio & potentem  
 eloquio concesserint. Singula illa Tibi non vota, sed fata  
 sunt: *Regem* enim Te DEUS fecit, dedit animum regium,  
 dedit denique non unum, sed multos Cyneas, inprimis autem  
*perillustrem TUM FUCHSIUM*, cujus incomparabili  
 pru-



prudencia, cujus Svada ac dicendi facultate animos Tuorum non dirigit tantum, sed & planè devincis.

O Beatum *REGEM* his *Ministris* omnibus! Beatos verò *Ministros REGE* tali! Profectò, si *Tacito* Imperatori olim acclamare potuit Senatus: *quis melius, quam literatus imperet*; non alienum quoque videbitur succlamare: *Quis melius, quàm literatus Principi ministret?* Repeto igitur, reiteroque illud Platonis, quod Antonius Philosophus semper in ore habuisse dicitur: *Florere Civitates & Respubl. si aut Philosophi imperarent, aut imperantes philosopharentur.* Torpet nunc animus meus tot rerum cogitatione, tot perfectissimarum virtutum contemplatione, atque in tanta dicendorum copia vix amplius verba satis invenit, & nondum de reliquis virtutibus commemoravi, de ea scilicet Munificentia parte, quâ cæteras laudes suas atque seipsum superasse putandus est *REX CLEMENTISSIMUS.* Benignitatem Ejus atque Clementiam loquor, quam nemini esse clausam res ipsa loquitur, eoque magis patere *Ejus Regni* Civibus, in *REGIS FRIDERICI* Auctoritate *MAGNI PARENTIS* indulgentiam admirantibus, quorum vocibus oppida & vici personant, cunctos Reges liberalitate *FRIDERICI* superatos, qui, ut à *NUMINE* proximus, sic salutem hominibus dando *EIDEM* & quàm simillimus existit. Nondum de propensiss



penfissimo Ejus in Socios & in Cives suos amore, quem ineffabilem penè dixerim; Illos enim universos non aliter, quàm membra partesque Imperii curæ habet; Hos autem ita diligit, ut in via IPSI nulla sit via, quo minus rapidissimo in disjunctissimas terras cursu contenderet, omnesque amplissimæ ditionis suæ partes sapientissimis oculis perlustraret, & quicquid nociturum ipsis videretur propellere, quicquid profururum crederet provehere, quantis potest viribus, quàm efficacissimè anniteretur. Nondum inquam, de summa REGIS humanitate, miraque Ejus comitate sum locutus, qua quidem virtute, ut præcipuâ in Principe, & primâ, quasi vinculo quodam ceteras omnes adeo sibi REX obligavit, ut nodo quodam gordio cum Illo connexæ nunquàm possint ab Ipso vel Alexandri cujusdam, vel ipsius Martis gladio dissolvi ac divelli. Nondum denique Auctoritatem *REGIS POTENTISSIMI*, Ejusque gloriæ ornamenta recensui, ut Orbis EUM suspiciat, exteri colant, subiecti venerentur. Quis enim tot tantisque rebus omnibus sufficeret, in quibus singulis deprædicandis exercitatissimorum Oratio deficeret? Quid quod subiectissimus quisque virtutum ac rerum tam splendidissimarum adorator solummodo balbutit, non ebucinat; hæsitat, non proclamat; auspicatur, non finit; inchoat, non absolvit; verba facit, non perficit; ex parte, non ex toto. Satis igitur sit, si dixerò, in Te, DOMINE complexum atque concentum omnium Regiarum esse virtutum.

Et



Et nunc nihil aliud restaret, quàm ut bonis verbis, ut faustis  
 precationibus hoc quod suscepi finiatur subjectissimæ piete-  
 tis meæ officium, nisi divina illa ac singularis in DEUM pie-  
 tas, omnium virtutum Tuarum, REX OPTIME, sine du-  
 bio præstantissima mihi manum injiceret, quam turpi silen-  
 tio hic præterire nullo modo possum. Hanc verò digniùs  
 sanè exprimere non valeo, quàm lectissimis illis verbis, quæ  
 Numismate Tuo sunt prodita:

# FRIDERICUS III.

ELECTOR BRANDENBURGICUS,

SUPREMUS DUX BORUSSIÆ &c.

ut

gratam in DEUM mentem testaretur,

& veram Religionem alibi afflictam

in suo soletur, ad structuram

Templi Novi

REGIOMONTI Borufforum

primum posuit lapidem,

Et sic

Augustæ pietatis monumentum

posteritati reliquit

Die  $\frac{xv.}{xxv.}$  Maj. Anno M. DCXC.

O felicissimum negotium! O Auspicatissimum fundamen-  
 tum



tum, quod virtutis ac felicitatis fundamentum, pietas REGIS, Religiosissimi Principis manus locavit! Admirabilem hac in re profectò Te suspicit Orbis, *REX OPTIME*. Nam cum multi alii Principes vanitatis curas habeant sæpè potiores, cum, inquam, vel voluptates sectentur multi, TU tamen, *PIISSIME REX*, prætulisti semper æterna illa caducis, quia Ipse ad æternitatem factus, quia Ipse divinus, animusque Tuus alia agere non potest, quàm quæ divina spirant. Nempè, non militare tantùm DEO, Religionisque causam contra immanissimos veritatis hostes vitâ tuâ & sanguine Tuum est propugnare, sed conditis etiam divinis ædibus, ornare, augere atque in majus tollere. Quales quidem & *Regiomonti*, & *Potzdami* deinde in usum Helvetiorum eodem hoc Anno, & nuper tantùm *Berolini* excitasti, hoc virtutis genere verè SALOMON. Atque hinc quid mirum est, *REX* optimè, si omnia summaque à DEO in TE ornamenta proficiscuntur? *Cum enim TU DEUM ita \* honores, ipse TE DEUS quoque honorat.* Quid mirum, inquam, si TE regnante continuâ prosperitate omnisque generis felicitate fruamur? Hanc enim & virtus, & sapientia, pietasque TUA pepererunt. Scio equidem, *REX CLEMENTISSIME*, quàm nihil horum apponi gloriæ Tuæ postules, cujus æstimatio tota ad DEUM pertineat; Sed hoc pietatem nostram ad dicendas Tibi laudes excitat,

\* 1. Sam. 2. 30.



( 25 )

excitat, hanc felicitatem propitium NUMEN per TE præstare  
 voluisse, per TE, inquam, quem incertum, magis propter vir-  
 tutem diligant homines, an propter merita venerentur. O  
 felicem Rempublicam, quæ tam bono, tamque pio gaudet  
 Principe! felicem præcipuè *Borussiam*, Cui Regem divi-  
 na Clementia concessit, quo meliorem aut mente concipe-  
 re, aut oprando sperare nemo mortalium potest; Regem,  
 qui benignior *Tito*, melior *Trajano*, augustior *Augu-  
 sto*, fortior *Pompejo*, sapientior *Antonino*, bellicosior  
*Alexandro*, religiosior *Constantino*; Regem, cui vi-  
 tam, prosperitatem, salutem, & retulit adhuc Regnum, &  
 omnes debemus; Regem, qui tanquam verus \* *Jedidja* in-  
 comparabili sua pietate omnia à DEO bona nobis impetrat,  
 impetrata autem rerum optima, *pax* conservat. Nam  
 quid juvet rerum affluentia, quid magnæ opes bonorumque  
 abundantia, si incumbant arma, nec prodesse intra suam  
 quietem possessori queant? Quid attinet, hortos luxuriare  
 fructu arborum, fluctuare opimis messibus campos, florere  
 urbes, commercia tractari, vigere sacratissimum DEI hono-  
 rem atque justitiam, si horum omnium cultum usumque  
 bellorum tollat tumultus, lugendique necessitatem imponat?  
 Pax autem, quâ vix quicquam in terris non dicam excellen-  
 tius ac majus, sed verò utilius salutariusve contingere potest,  
 pax, inquam, populos jungit, Regna firmat, æraria ditat,  
 G fami-

\* 2. Sam. 12. 25.



familias conservat, opes custodit, thesauros congerit, Civium numerum auget; Justitiæ tribunalia, literis Lycea, virtutibus palæstras, Religioni templa pandit, atque ad eò omnis felicitatis primùm humanæ, deinde divinæ cumulum, abs se adducit. Hæc *RËGI* atque *ELËCTORI* Nostro majori est curæ, quàm vel clarissimi triumphi & victoriæ; hujus semper prætulit studium, atque effecit, ut militiæ munera sopita quiescant; hanc cum concesserit nuper atque firmarit, reliqua nobis omnia adsunt, profunt. O TE verè *MAGNUM*, verè admirandum Principem! Nam licet inter *Majores Tuos*, præsertim gloriosissimus Tuus *PARENS FRIDERICUS WILHELMUS*, ob magnitudinem rerum gestarum immortaliaque sua facinora magnus vocari meruerit, hodiè tamen illud *NOMEN* Virtute Tuâ ita propriè etiam *Tuum* est, ut æquè verè *TIBI* conveniat. Enim verò, si gloriosissimus *FRIDERICUS WILHELMUS* Magno suo Nomine inclaruit & sago, & bellica fortitudine; Profectò nulla apparet in *TE*, *POTENTISSIMO FILIO* ab *AUGUSTISSIMO PARENTE* differentia, nisi quod *TUO*, quo gaudes *NOMINE* maluisse semper videaris inclarescere pace. Et adhuc totus hæreo, totus dubito, si Toga Sago præferenda est, omninò & hòc, quo videris differre, à *TANTO PARENTE TANTUS FILIUS*, Eundem potius videris superare.



perare. Hinc *MAGNUS PARENS FRIDERICUS WILHELMUS* fecit, ut *TU, REX MAGNE*, solus *FRIDERICUS* nomineris, Tu autem *FRIDERICUS* fecisti, ne immeritò ita sis nominatus. Memorabile profectò *Nomen!* Nam cum multis aliis Principibus in fastis sint Nomina rubro picta colore; *Auratum nomen* habet *BORUSSIAE REX FRIDERICUS*. Est enim Ille Augustus Patriæ Parens, Qui Augustæ pacis nomine celebris, instar Augusti nobis sacra limina Jani non sine summo suorum gaudio claudit. O ampla Virtus! Has obsecro vel obscurissimas, *REX CLEMENTISSIME*, ne dedigneris recipere, quæ Te Solem ut umbra sequuntur, laudes, Tuis profectò meritis, (ignosce Candori ingenuè fatenti) minus minusve pares. Cæterum O Principum *MAXIME*, quoniam Te neque Aures, me neque linguam adulationi unquam advevissè in eo certus, Tuam is optimè laudare videtur Virtutem, qui narraverit, saltem fidelissimè. Tu enim, *REX INCOMPARABILIS*, nunquam satis laudate, nunquam satis laudande, Tu labor ille Vatum ac Oratorum, in ore, in animo eris omnium, Nominisque Tui magnitudine orbem universum, diuturnitate autem famæ vastam temporum æqvabis profunditatem. Cape igitur nunc virtutis Tuæ gloriosissimum

mum



mum fructum beneficio ac providentia DEI, ad eam gloriæ  
 magnitudinem TE evehentis, quæ ferè omni exemplo ma-  
 jor est. Deprædicaris enim hodiè (DEO sit laus ac gloria)  
 tot gentium populorumque lingvis Idem & Patriæ Pater, &  
 Conservator, & populi Amor & delictum & Optimus Prin-  
 ceptus & pius & fortis & felix, unaque omnium voce lætissimâ  
 REX pacificus salutaris. TU, quod alii per ignes ferrumque  
 petunt, amore ac benevolentia capis, non factioso tumultu,  
 non gemitu populi, sed unanimi Tuorum Voto, læto corde,  
 ac sacro quodam ardore *UNCTUS DOMINI* atque  
*REX* proclamatus. TU, quem tot Magnorum Heroum  
 sanguis illustravit, quem virtutis honor evexit, quem dia-  
 demate suo vestit sapientia, cui purpuram suam circumpo-  
 nit justitia, qui uno pectore omnes scientias, sicut Pyrrhus  
 olim uno annulo omnes Musas, capit, quem denique miræ  
 & Rege dignæ dotes notarunt; TU, inquam, hodiè factis  
 antea in templo pro Regno publicaque salute obsecrationi-  
 bus, concomitantibus tot *PRINCIPIBUS*, sanctioribusque  
 consilii *TUI ADMINISTRIS & PROCERIBUS* prodis  
 in Augustum ac *REGIUM* illum *THRONUM*  
*TUUM*, Augusta regiaque pompa ac *Majestate*  
 illustrem, quo inter mortales nihil splendidius, nihil existit  
 dignius, & quidem DEO sic volente, Augustissimo *Impe-*  
*ratore*, *MAGNO LEOPOLDO* approbante, *Borussia*  
 Tua valdè admodum desiderante, Germania gaudente, Eu-  
 ropa



ropa plaudente, atqve universo Orbe, hostibus Tuis ac Barbaris exceptis, in gaudia effuso. O lætum Diem, & posteris memorandum, qvem tanqvàm omnium dierum REGEM nec lingua pronunciare, nec vox efferre pro dignitate audet, partim hâc temporum lætitiâ, partim & felicitatis publicæ magnitudine stupentes, totæqve consternatæ! Intuetur hodiè *Vultum Tuum DOMINE*, in qvo Mars & populorum salus habitat, atqve ut Manus Tuas, Gentium Victrices exosculetur, in conspectum *Tuum* procedit *AUGUSTI REGIIQVE THORI PIGNUS, PATERNARUM VIRTUTUM IMAGO, TOT HEROUM SANGVIS, SPEI NOSTRÆ PRÆSIDIUM, ET FELICITATIS FUTURÆ INSTRUMENTUM, PRINCEPS REGIUS ET ELECTORALIS, SERENISSIMUS FRIDERICUS WILHELMUS.* Procedunt ad exsolvendum gratulationis officium suum. SERENISSIMI TUI FRATRES, qvadam veluti pietatis certamine ÆMULI. Procedit quoqve, ut hâc prosperrimâ lætissimaqve die pietatem TIBI probet AUGUSTA CUM FILIO PRINCIPE, SOROR TUA, ELISABETHA SOPHIA, CURLANDIÆ DUX SERENISSIMA, uterqve de dignitate ac gloria Tua summam lætiam ac voluptatem percipiens. OMNES, qvi festivitati huic regię interfunt, de tanta felicitate ac gloria TIBI

H hodiè



hodiè gratulantur, atqve inter exoptatissimi Diei auspicia, lætitiis omnibus LÆTI triumphant. IPSE, REX INCLYTE, CUM REGINA AUGUSTISSIMA INTER EOS MEDIUS, VIRTUTIS TUÆ HONORE, AC REGIO CULTU CONSPICUUS, MAJESTATE VERENDUS, LÆTITIÆ PUBLICÆ ET AUCTOR ET CAUSA, NON SINE VOLUPTATE, ac piâ in Deum veneratione gaudes, & de virtute & auxilio JEHOVÆ lat aris vehementer; Nam desiderium cordis Tui dat Tibi DOMINUS, pronunciatum labiorum Tuorum non avertens maxime: Quoniam prevenit Te benedictionibus boni, & imponit Capiti Tuo CORONAM de lapide pretioso. Vitam petis ab Eo, & Tibi dat longitudinem dierum in sempiternum. Magna est gloria Tua per Salutem DEI, Decus & Majestatem in Te ponit DOMINUS. Nam disponit Tibi benedictiones in sempiternum, & exhilarat Te lætitiâ à facie sua. Et quoniam Ipse, REX confidisti JEHOVÆ, ideo fretus benignitate Altissimi non dimoveberis.

Neque exiguam ex gloria Tua atqve felicitate colligunt voluptatem, non tantum qui TE circumstant, sed & qui absunt universi ac singuli, quicunq; TUI CLIENTES ET MINISTRI appellari gaudent, animis TIBI subiecti, quorum dominatio non nisi TUO nititur Regno atqve Imperio, tot

SALA-



SALAMINÆ TANQUAM NAVES, USU RERUM INSIGNES, TOT  
 THEMISTOCLES ET CONSILIORUM INVENTORES, TOT GENEROSIS-  
 SIMA AC DEVOTA GLORIÆ TUÆ PECTORA, TOT ZOPYRI, TOT  
 MARTIS FILII, qvi cum *Alexandro Magno* emerunt  
 gloriam multis continuisqve vulneribus; Omnes hi, inquam,  
 non aliter sicut *Heliotropium* ad TE, REX SERE-  
 NISSIME, qvasi denuò hodiè exortum SOLEM  
 Nostrum, Majestatis Tuæ radiis fulgentem, & ora & vultus,  
 & corda sua convertunt. Frontes enim circumspecte omni-  
 um, & hujusmodi colliges esse neminem, qvi ad gloriam  
 TUAM non exulter, neminem, qvi à gratulandi officio con-  
 quiescat, neminem, qvi TE Rege factò & proclamato hila-  
 rem non exporrigat frontem. Quod eqvidem universam  
*Borussiam*, in Ea qve illustrissimam illam Sedem & Regni  
 Tui Caput, *Regiomontum* eo ardentius facere videmus,  
 qvò majori æstimatione summum & consummatissimum il-  
 lud honoris ac gloriæ culmen metitur, ad qvod invicta &  
 gloriosa ipsius AQVILA evecta est. Gaudent & ceteræ quo-  
 que ditiones TUÆ omnes, atqve hoc divino & gloriosissimo  
 eventu lætantur, qvo nihil de juribus Ipsarum ac libertate  
 decedit; ad gloriam verò & Dignitatem accedit plurimum,  
 utpote qvibus certissima spes est, & majora adhuc accessura  
 esse, & DEO benè adgubernante futurum, ut felicitas  
 Tua, REX OPTIME, & sibi quoqve salubris sit & fru-  
 gifera, & ipsas reddat feliciores & incrementum addat feli-  
 citati. Et qvid de *Clientula Tua Pomerania* dicam?  
 utpote,



utpote, quæ antiquâ virtute ac fide insignis, pietatis verò lætitiæque solennitate nulli Provinciarum secunda, ad tantum honoris ac gloriæ Tuæ sensum exultatione gestit. Quid de ILLUSTRIS ARGENTORATI memorem? quam cum intueor, atque affectus magnitudine abreptus perlustro, ubicunque circumfero oculos, justissimum quendam lætitiæ & voluptatis consensum in ea invenio. Quid enim aliud sibi vult tot hominum confluxus, sonus campanarum, tubarum bombi, strepitus tympanorum, atque tot fidelissimorum civium ad displodendum in publicum deducta cohors? Nulla ætas, nullus sexus & nullus ordo exultationibus vacat, aut à virtutis Tuæ laude ac gloria conquiescit. Atque ipsa etiam *Urbis hujus Domicilia* in parietibus, in frontispiciis, tot luminibus, corollis, ornatu variisque notis, figuris, indiciis, emblematis, argumentis hodierni diei celebritatem præ se ferunt atque ostentant. *Ecce! GLORIOSISSIME REX FRIDERICE!* Hic candidus ille nec infucatus est Affectus, quo Te hodiè excipimus, & nunquam non prosequemur. Hic pietatis ille calor, hic sanctus est amor in Civium bonorum, fideliumque subjectorum Tuorum cordibus accensus, qui nihil aliud exprimere potest, nisi tot exuberantis nostri gaudii lætitiæque *τεκμήρια*, tot sincerrimas congratulationes, & quæ POTENTISSIMO TUO NOMINI litamus sacrificia, vota. Quorum summam, ut à me, subjectissimo Tuo Cliente, supplici genu ad pedes *MAJESTATIS TUÆ* prostrato animo, prostrato ore ja-

cente



cente recipias, eamque in benignissimum TUUM & Paternum effundere sinum clementissimè permittas, est, quod humillimis abs TE precibus oro, obsecro atque contendo.

Quod bonum faustumque sit TIBI, DOMUIQUE TUÆ, PRINCEPS AUGUSTISSIME, omnis TUUS populus consentiens cum exteris & REGEM BORUSSIÆ TE consalutat, & ELECTOREM BRANDENBURGICUM ET PATRIÆ PATREM! Salve, Salve igitur, REX POTENTISSIME FRIDERICE, DEUS TE conservet! Salve, ELECTOR SERENISSIME, DOMINE MI, DOMINE NOSTER CLEMENTISSIME, DEUS TE conservet! Salve, ave, & æternum vale, Tu PRINCEPS AUGUSTE, PIE, FORTIS, INCLYTE, GLORIOSE, FELIX, TRIUMPHATOR, DEUS TE conservet! FULMEN BELLI, PACIS COLUMEN ET DECUS, DEUS TE conservet! SPES TUORUM, HOSTIUM TERROR, DEUS TE conservet! TOT PROVINCIARUM RESTITUTOR, POPULORUM ASSERTOR, DEUS TE conservet! SOLATIUM AFFLICTORUM, JUSTITIÆ PATRONE, VINDEX OPPRESSORUM, DEUS TE conservet! In quo Uno ac Unico spem universam habes repositam temporibus duris atque adversis exaudiat TE DOMINUS, & nomen, potentia,



tia, amplitudo ac Majestas DEI Jacobæorum prohibitum ærumnis tueatur. Respiciat TE periclitantem, & è domicilio sanctuarii sui præsentia animi corroboret! Odoretur suavitatem nidoris exhalantis è sacrificiorum TUORUM crematione; & hostias TUAS in cinerem convertat. Gratas & acceptas habeat victimas TUAS, easque demissa de cælo flamma consumat. Approbet DEUS ea, quæ habes in animo, & omne consilium TUUM perficiat, Rata esse velit, quæ optas, prospero successu provehat, quæ instituis, ad optatum eventum perducatur, quæ moliris, felici exitu concludatur, quæ tractas universa. Vive! Vive! *REX DEO DILECTE*, atque diutissimè *Borussiam*, diutissimè *Marchiam*, diutissimè *Pomeraniam*, ceterasque amplissimas TUAS Regiones quantum fieri potest in pace, & si bellum necessitas adducat, VICTOR omnium hostium gubernat! Vive fortunatissimè, novercantis fortunæ casuum expertus! Clementissimam in omnibus experire fortunam. Ea in sede, in Regia TUA ut habitet optamus. TE comitetur, TE ducat, TE reducat, eaque quæ aliis hospes, sit apud TE incola precamur. TIBI eunti ac redeunti salus sit Comes!

Non prius incurras dura contagia morbi,  
Quàm sese immitti copulet agna lupo!

incipias hodiè denuò vivere, qui nunquàm desisti benè vivere! Inchoes Regnum feliciter, qui nunquàm meruisti esse infelix! *Quem ADOLESCENTEM ET UNICUM*



*CUM FILIUM* vides, Hunc Juvenem, hunc Vi-  
 rum & Consortem aliquando det *TIBI DOMI-*  
*NUS*, Serissimè Successorem! *QVOS DEUS Mini-*  
*stros* constituit, hos fidelissimos *Adjutores*, hos *Co-*  
*mites*, hos *amicos TIBI* servet! *Inviçtus* semper  
 fuit *Exercitus TVUS*; *Augeat DEUS* *Victorias*,  
*TVISQVE* *faveat* *Triumphis*, ut *Heroicis TVIS*  
*facinoribus* semper *plus ultra*, & *toga* & *sago* plus  
 supra *inclarescas*! *Vivat REX PRUSSIAE*  
**FRIDERICUS**, dignissimus **CUJUS** *ætas*  
*nullis temporum decursibus*, *nulla solis reversio-*  
*ne terminetur*!

*Quod bonum faustumque fit TIBI, DOMUIQUE*  
*TUAE, PRINCEPS AUGUSTISSIMA*, *omnis*  
*TVUS* *populus consentiens* cum *exteris & REGI-*  
*NAM BORUSSIAE TE* *consalutat*, & *ELE-*  
*TRICEM BRANDENBURGENSEM & PA-*  
*TRIAE MATREM*. *Salve, salve igitur REGINA*  
*OPTIMA, SOPHIA CHARLOTTA,*  
*DEUS TE* *conservet!* *salve SERENISSIMA ELE-*  
*TRIX, DOMINA MEA, DOMINA NOSTRA*  
*CLEMENTISSIMA, DEUS TE* *conservet!* *Salve, ave, &*  
*æternum vale, TV PRINCEPS AUGUSTA,*  
*PIA, CLEMENS, BENEFICA, VICTRIX, BEATA, DEUS TE* *confer-*  
*vet!*



vet! PATRIÆ MATER & LUMEN, SEXÛS TUI, FORTUNÆQUE  
 EXEMPLUM, DEUS TE conservet! PATRIÆ COLUMEN, SPES  
 REGNI atqve SALUS, DEUS TE conservet! VIRTUTUM OMNIUM  
 HABITACULUM, SEculi ORNAMENTUM, DEUS TE conservet!  
 Heroicæ TUÆ Virtutes non solum invidiam vicerunt, sed &  
 mortale fastigium supergressæ sunt. Quid enim aliud es,  
 quàm ex omni perfectissimarum virtutum splendore colle-  
 cta perfectio? TU Una instar es omnium Reginarum &  
 Principum, quæ tot Una virtutibus abundas, ut Una omnium  
 laudes exhaurias; quâ Unâ, ignosce candori ingenuè fatenti,  
 nihil unquam excellentius, nihil sanctius, nihil venustius, ni-  
 hil admirabilius aut prisca, aut recentior ætas cognovit, &  
 Cui similem ne fingere quidem animo Principem, nec for-  
 mare unquam cogitatione dabitur, donec stabunt regna &  
 Imperia. Constituat TE DOMINUS in benedictionem Po-  
 puli, ut videas bona DOMÛS TUÆ REGIÆ in sempiternum;  
 ut videas FILIOS FILIORUM TUORUM, & pacem super  
 Israel! Vive felicissimè, REGINA CLEMENTISSIMA, nec deserat  
 TE DEUS amore, antequam desinas imperare! Serissima verò  
 & Nepotibus demùm nostris nota sit illa Dies, quâ Diade-  
 ma, quâ Sceptrum, quâ purpuram Tuam cum futura ac  
 coelesti illa gloria permutabis! Vive diutissimè, ut jam vivis  
 in terris beata! maneat in ævum dubia & anceps palma pul-  
 cherrimæ conspirationis, utrum impensiori pietate Cives Tui  
 TE, an TU Cives Tuos salvos & incolumes esse ma-  
 lis! Vivat *Regina Borussia*, SOPHIA CHARLOTTA,  
 dignif-



dignissima, cujus ætas nullis temporum decursibus, nulla solis reversione terminetur!

Respice, *summum & æternum Numen*, respice precor, *Principem atq; famulum Tuum* **FRIDERICUM, REGEM, ELECTOREM** atqve **DOMINUM NOSTRUM** longè Clementissimum; Respice *Principem atqve famulam Tuam*, **SOPHIAM CHARLOTTAM, REGINAM, ELECTRICEM** atqve **DOMINAM NOSTRAM** longè Clementissimam de Throno Tuo cœlesti, ut felicissimè administrent Regnum, regantqve populum, quem Illorum Imperio subjecisti! Conserva, quæso, utramqve **SACRAM REGIAM MAJESTATEM PRUSSICAM**, Eorumqve solium indies amplificatum consolida atqve confirma. Perge quoqve adesse **FRIDERICO**, **Gloriosissimo Regi Nostro**, quemadmodum semper cum **EO** fuisti. Incipe benedicere **DOMUI EJUS**, ut sit semper coram **TE**: **TE** enim, **DOMINE**, benedicente, benedicta erit in perpetuum!

Servet **DEUS** ter **O. M.** cum **AUGUSTISSIMA LOUISA DOROTHEA SOPHIA**, **Potentissimi Regis** atqve **Electoris Nostri** **FILIA CARISSIMA, SERENISSIMUM FRIDERICUM WILHELMUM**, in **SPEM REGNI** atqve **IMPERII GENITUM**, **ILLOS PRINCIPES, ILLAM SOBOLEM REGIÆ STIRPIS, DUCES NOSTROS, REGUM INSTAR**, **EOSQVE** diutissimè mortalium cœtui interesse patiantur! **Vive, HÆRES REGIÆ FRIDERICE WILHELME**, **felicetatis, quam ominamur, & PIGNUS MAXIMUM, ET SPONSOR CERTISSIME!** **Sis nobis olim FRIDERICUS WILHELMUS SECUNDUS**, & ob id maximè **SECUNDUS!** **Sis aliquando REX PRUSSIÆ SECUNDUS**, nulli Regum felicitate ac gloria **SECUNDUS!** **Præstantius olim reddat DOMINUS NOMEN TUUM, MAGNI PARENTIS AVIQVE NOMINE, & amplifcet SOLIUM TUUM** su-



per SOLIUM EORUM! Faxit **DEUS**, ut vota vincens nostra felicissima TUA indole ætate & meritis MAGNUM AVUM transcendas, ingenio & virtutibus gloriosissimum PATREM!

Vive & TU, cum CONJUGE TUO SERENISSIMO **FRI-  
DERICO**, PRINCEPS INCOMPARABILIS, **LOUISA DO-  
ROTHEA SOPHIA**, UNICUM ORDINIS ET SEXUS TUI  
ORNAMENTUM! Non infructuosæ fuerunt preces & vota  
nostra, quæ superiori anno pro salute TUA perfolvimus,  
cùm TE felicissimis auspiciis cum JUVENI PRINCIPE, **HASSIÆ  
LANDGRAVIO**, MAJORUM æqvè ac SUIS virtutibus fulgentif-  
simo conjungi videremus; Nempe non tantùm incolumem  
TUAM SERENITATEM ac CELSITUDINEM sine offensa vale-  
tudinis conservavit **DEUS**, sed & AUGUSTISSIMO TUO CON-  
JUGIO coelitus benedixit. Benè ergò & TIBI & ILLI vertat!  
TIBI, quod MATER; ILLI, quod PATER sit futurus. In Cli-  
entelam TE suam recipiat **DOMINUS**, ET CUSTOS ISRAELIS  
TE custodiat! Det TIBI **DEUS** hanc gratiam, ut incolumis  
PROLEM VOBIS dignam parias, felicissimoque utero & RE-  
GIORUM TUORUM PARENTUM, ET AVI PRIN-  
CIPIS, **AUGUSTISSIMI CAROLI** gaudia nobiles! Faxit  
**DEUS** ter O. M. ut sis sicut Vitis abundans in lateribus  
DOMUS TUÆ, ut **AUGUSTA PROLES** successu tem-  
poris ex THALAMO VESTRO AUGUSTISSIMO pro-  
generata ad genua VESTRA colludant, & veluti surculi VO-  
JIS rigantibus in amœnissimam *AUGUSTÆ STIRPIS VE-  
STRÆ CELSITUDINEM* felicissimè succrescant; ut *SERE-  
NISSIMA DOMUS HASSO-CASSELLANA* multis surculis  
aucta, & multis fulcris sustentata ad seram posteritatem  
continuo successionis ordine elegantissimè perennet!

Servet quoque **DEUS SERENISSIMOS PRINCEPS,  
AUGUSTISSIMI REGIS FRATRES CONJUNCTISSIMOS,  
DOMINOS MEOS, DOMINOS NOSTROS CLEMENTISSIMOS,**  
utpote à quibus securitatem atque felicitatem suam expectat  
universa Patria. Vive, **PHILIPPE WILHELME**, cum  
CONJUGE & FILIO SERENISSIMO, atque *STIRPEM TUAM  
CELSIS*



*CELSISSIMAM* ad seram usque posteritatem extende! Vive, ALBERTE FRIDERICE, & Tu CHRISTIANE LUDOVICE, DECORA PATRIÆ, PRINCIPUM ORNAMENTA, DUCES, PRINCIPES, AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI! Vivite, FRATRES OMNES SERENISSIMI, florentes opibus, felices consiliis, invicti Concordiâ! Det VOBIS ipse DEUS de rore cœli, variaque pinguedine terræ, & abundantiam frumenti ac Vini & olei! Serviant VOBIS populi, & Nationes Vos adorent! Quicquid laudis & gloriæ in PROAVIS VESTRIS, in AVIS, in MAGNO PARENTE VESTRO, POTENTISSIMOQUE FRATRE REGE ET ELECTORE, quorum geritis nomina, eminuit olim & adhuc fulget, hoc repræsentate Seculo, hoc propagate ad posteros, majores aut pares!

Vivite & VOS, DUCES AC PRINCIPES SERENISSIMÆ, POTENTISSIMI REGIS SORORES CONJUNCTISSIMÆ, DOMINÆ NOSTRÆ CLEMENTISSIMÆ, LUMINA PATRIÆ, PROBITATIS EXEMPLA! Vivite, precor ex animo, semper felices, semper beatæ, ut quamdiu eritis inter Mortales, nihil ex DOMIBUS VESTRIS sentiat mortalitatis!

Servet tandem etiam DEUS universos AUGUSTI REGIS AGNATOS, AFFINES, FOEDERIBUS JUNCTOS, ut gloria, ut felicitas EJUS undique stabiliatur!


GLORIOSISSIME FRIDERICE, REGUM ET SAPIENTISSIME ET CLEMENTISSIME, TUUS hic festus Dies est, TUÆ gloriæ nova hæc auspicia. Gaude ergo TUO TUORUMQUE bono, & fructu bonitatis TUÆ, Justitiæ, Clementiæ, omniumque TUARUM Virtutum Regiarum gloriâ, quam consecutus es. Ego verò, & universa mihi commissæ hinc juventutis cohors, parvuli illi Viri-  
rites, futurusque olim populus TUUS, ut æternùm gaudeas, & gloriæ TUÆ inter sis ardentissimis precibus DEUM O. M. assiduè roga-  
bimus, nunquam pro salute & incolumitate TUâ vota facere cessaturi. Nam cum TU, REX OPTIME, DEO approbante & faciente benè TE habes; subiectus sub ditionem TUAM populus malè habere non potest; Tunc benè etiam semper erit Scholæ nostræ, Cujus TU, REX BENIGNISSIME, & Auctor es, & Conservator Cle-  
mentif-



mentisimus, quæ suam incolumitatem & incrementum **TIBI** quàm subjectissimè commendat.

**TIBI** autem, *ÆTERNE, OMNIPOTENS AC MISERICORS DEUS, PATER DOMINI AC SERVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI,* Cujus verbo extitit, nutu regitur, spiritu conservatur hæc rerum Universitas, & Cujus mente regna nascuntur, augentur, retinentur, voluntate gubernantur, ope fulciuntur, offensione denique labuntur, concidunt, delentur; **TIBI**, inquam, Autor atque Arbitrator Imperiorum, Regnorum, Principatuum, & cuncti ordinis politici, quantas mente concipere, & verbis exprimere possumus gratias & agimus, & habemus, quod *SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM PRINCEPEM AC DOMINUM NOSTRUM, DOMINUM FRIDERICUM III. MARCHIONEM ATQUE ELECTOREM BRANDENBURGICUM &c. &c. &c.* Clementi ac Potenti Numine *TUO* non solum ab omnibus malis ac morbis hæctenus prolixè prohibuisti, sed etiam eò honoris ac gloriæ perduxisti, ut cum suprema potestate in *PRUSSIA, SUMMAM PRÆC* quoque *REGIS DIGNITATEM ET NOMEN* obtinuerit atque possideat. Rogamus **TE**, benignissime Pater, omnibus precibus, ut eundem illum *REGEM, ELECTOREM AC PRINCEPEM NOSTRUM,* solita bonitate *TUA* perpetuò prosequaris, & omnibus animi Virtutibus, omnibus Corporis dotibus, omnibus denique honoris, felicitatis ac gloriæ muneribus cumules, augeas, amplifies; ut in tanta & morum perversitate, & temporum iniquitate *REGNUM & REMPUBLICAM* dexteritate optabili administret; & consilia, studia, opes atque copias suas conferat ad *ÆTERNI NOMINIS TUI MAJESTATEM,* Ecclesiæ incrementum, Regni Borussiae, omniumque suarum Regionum emolumentum, Imperii Rom. firmamentum, *INCLYTÆ REGIÆQUE DOMUS SUE* ornamentum, hujus Scholæ præsidium & commodum, ac *SUAM* denique *IPSIVS* Salutem sempiternam, & nunquam intermorituram laudem, gloriam, atque felicitatem!

**VIVat** **FRIDERICVS** **REX** **PRUSSIÆ,** atque **felIX** **IMperare** pergat!







Deutsche



**A R T I**

Ein dem ...

In der ...

und ...

Ein dem ...

Ein dem ...





I.  
**G**lück dem König Salomon!

Also sang vor alten Zeiten  
Israel in seine Saiten /  
als Ihr Fürst bestieg den Thron /  
Glück dem König Salomon!

2.

Glück dem König Salomon!

Zu der Salbung des Propheten /  
Zu dem Tauchen und Trommeten /  
Zu der güldnen Königs Krohn /  
Glück dem König Salomon!

3. Glück



3.

Glück dem König Salomon!

Dem der **HE RR** verheißt den Segen /

Niemand sol ein Schwert bewegen /

Weil Er sitzt auff dem Thron /

Glück dem König Salomon!

4.

Glück dem König Salomon!

Also singt zu unsern Zeiten /

Unsre Jugend in die Saiten /

Da Ihr **Fridrich** trägt die Krohn /

Glück dem König Salomon!

5.

Glück dem König Salomon!

Himmel geuß der Weisheit Dele.

In des theuren **Helden** Seele /

Himmel stütze seinen Thron /

Glück dem König Salomon!

6. Glück



Gluck dem König Salomon!

Gott gib Frieden/ Gnad und Leben/

Bis Du Ihm zuletzt wirst geben

Jene/ mehr als güldne Krohn/

Gluck dem König Salomon!

